

CAPUT XXIII.

*De remediis, quibus ius suum persequi liceat
in statu naturali.*

DCXIII. Examinauimus hucusque regulas, quibus humanae actiones attemperandae sunt, et quarum custodia summam, quae in hac vita haberi potest, mortalium felicitatem efficeret; docet tamen experientia, non paucos vel ignorantia, vel etiam dolo ab iisdem deflectere, et cum obligationes ergo Deum, et se ipsum, tum etiam aliorum iura violare: agendum est itaque de nouis mediis, quibus harum legum transgressores in officio contineantur.

DCXIV. Internus Dei cultus in animo et corde est; quia ergo homines corda scrutari nequeant, nec intellectus physicam coactionem patiatur, in promptu est, ad hunc cultum neminem externa violentia cogi posse, neque aliud dari medium, quam inscios et errantes verbo ac doctrina erudire.

DCXV. Sed nec homini hominem sibi aequalem ad actiones externi cultus naturaliter compellere licebit. Ritus enim ac caeremoniae in statu naturae et praescindendo a reuelatione, signa sunt libere instituta, et quae porro a cuiuslibet arbitrio pendent. Quid, quod si alter alterum vi cogere posset, ut ideas, quas ipse de Deo habet, amplectatur, nemo esset, cui non omni momento ab insana aliorum superstitione turbare et violentiae imminerent? cf. *Couarruias ad cap. peccatum P. II §. 10.*

DCXVI. Nec salua maneret aequalitas naturalis, et independentia ab alieno arbitrio, si quis alterum ad officia sibi ipsi tantum debita, vel officia erga alios affirmatiua, et quae in augendis aliorum perfectionibus consistunt, vi externa compellere posset. Nihil ergo superest, quam ut tunc ad persuasiones, consilia, preces, aliisque coactiones internas recurramus.

DCXVII.

DCXVII. Contra fac alterum turbare mea aequalitatis et independentiae iura, ita ut laesio animi, corporis, vitae, membrorum, ceterarumque rerum mearum vel infamia immineat, vel actus inferatur, vel plane sit secuta; fac porro haec mala non aliter aueriri posse, quam si laesionem intentans alius a me malis physicis adficiatur, aderit tum collisio officiorum erga se ipsum, et erga alios. Quamobrem *in pari causa* sic fieri debet exceptio, ut officia erga me ipsum officiiis erga alios praeferantur.

DCXVIII. Tunc igitur tot alteri mala inferre licebit, quot erunt necessaria ad finem propriae conservationis obtinendum, ea scilicet omnia, quae durans status collisionis exigit, donec pro laesione praesente *depulsio*, pro praeterita *reparatio*, vel *satisfactio*, pro futura *securitas* sufficiens obtineatur.

DCXIX. Quoniam facultas vi alterum cogendi ex statu collisionis oritur, nec ad alia media ius competit, quam quae necessaria sunt ad laesionem auerendam, consequens est, ut media duriora adhibere non liceat, quamdiu leniora sufficiunt. Si quis enim statim durioribus utatur, media impendit non necessaria, et ad quae non habet ius, media porro iniusta: atque adeo laesus sit laedens, quamprimum excedit defensionis modum.

DCXX. Quamdiu igitur spes est fore, ut alter verbis, aut innoxie factis a laesione futura absterreatur, aut ad laesionem forte ex errore et ignorantia illatam reparandam disponi possit, tamdiu manus conferere esset iniustum. Quod ipsum dicendum est, si is, cuius nuda declarationi de non laedendo, aut laesione refarcienda fidem praestare satis tutum non est, paratus sit dare alias cautiones, velut fideiussores idoneos, aut pignora.

DCXXI. Ex hisce principiis porro fuit, ut si duo vel plures de iure eodem sibi competente mutuo contradicant, seu *litigent*, rem *litigiosam* statim adse-

re-

rere, qui eam praetendit, non possit, si etiam aduersarius, qui *protestatur*, a vi absteineat. Verum, quia bona fides alterius, et ius putatiuum facit, ne teneatur iure suo cedere, nisi eidem de iustitia praetensionis constet; id imprimis agendum, ut praetensio, cuius fundamentum alter iuste ignorare potest, eidem certa reddatur, hoc est, *probetur*. cf. Terent. Eunuch, IV. 7. 19.

DCXXII. Quae aliunde sunt manifesta, probatione non indigent. Iura connata, veluti naturalis aequalitatis, libertatis, bonae existimationis, iustae ignorantiae, ex ipsa natura hominis intelliguntur; qui ergo in illis se fundat, ea probare non tenetur, sed pro eodem stat praesumptio, donec alter ostenderit contrarium.

DCXXIII. Versatur porro omnis probatio circa iura et obligationes adquisitas, adeoque circa *factum*, et quidem primo, an illud factum existat? dein an factum sit iustum? de quo id tenendum, ut qui factum alienum obligatorium, vel 1) licitum, vel 2) illicitum, aut 3) factum proprium, quo ius adquisiuit, allegat, ei probatio incumbat; siquidem aduersarius nititur iuribus connatis, scilicet in prima specie libertate naturali; in secunda bona existimatione, et in tertia iusta ignorantia.

DCXXIV. At qui, quod fecit, se iuste fecisse adfirmat, ob eandem causam scilicet ob iura connata bonae existimationis et legitimae ignorantiae, necessitate probandi liberatur, atque ideo inter cetera possessionis iura et illud est, ut ea onus probandi in alterum reiciat. cf. L. 2. D. de Prob.

DCXXV. Fit autem probatio facti, vel *artificialis* ex ipsa negotii natura, inspectione oculari, aliaue experientia, vel *inartificialis* per *iusiurandum per instrumenta*, seu scripturas, in quibus facta referuntur; et per *testes*, qui sunt personae, quarum testimonio ad fidem facti faciendam utimur.

DCXXVI.

DCXXVI. Et quia vnus testis, si astutus est, contradictionis et falsitatis conuinci non potest, dein logice falsum esse posset, quod moraliter verum est, ad probationem vero facti veritas logica requiritur: inde est, quod vnus testis, etsi fide dignus et oculatus, sufficienter factum, eiusque circumstantias diuersissimas non probet, sed ad minimum duo vel tres testes adhibendi sint, qui *possint et velint* verum dicere, adeoque nullum ex testimonio lucrum expectent. *Vid. L. 1. §. I. C. de Testib.*

DCXXVII. *Lis decidi* dicitur, si applicato facto ad ius ostendatur, a cuius parte stet veritas. Itaque secuta sufficiente probatione, qui de alterius iure dubitat, vel illud ignorabat, de eo certus fit; litem ergo continuare nequit, sed debet ius aduersarii agnoscere, et a praetensione cessare. Quare probato eo, quoderat controuersum, lis naturaliter est decisa.

DCXXVIII. Vbi sufficientes probationes deficiunt, id quidem pro certo haberi debet, quod ex iure cuiusuis connato antea collegimus, vt in dubio melior sit conditio possessoris. * Saepe tamen eae obueniunt circumstantiae, vt lis neque ex generalibus his principiis decidi possit; veluti si ex duobus geminis non constet, quinam primo natus sit aut si fundus Titio relinquatur, sed ignoretur cui? quum duo sunt Titii. Tunc vero vni ab altero *suum ius quantumuis dubium inuito auferri non potest.*

DCXXIX. Etsi enim neuter litigantium ius certum habeat proprium sequendi iudicium, neutri tamen obligatio incumbit, alterius iudicio se subiiciendi; ac porro nec vni, nec alteri rem litigiosam totam licebit vi extorquere tam propter ius aequalitatis, quam quia coactioni locum non facit natura, sed alterius iniuria et laesio, quae hic ex vtraque parte est incerta.

DCXXX. Itaque vbi dubium durat, *colloquia habere, instituere tractatus, seu deliberationes de pacto*
in-

* Cf. *Gror. II. XXIII. 11.*

incedo, pacis procuratores et arbitratores, hoc est, personas, quae ad litem sopiendam operam suam et consilia sine partium studio conferant, adhibere, hinc litem *decidi* nesciam mutua conventionione finire, siue componere oportet.

DCXXXI. Fit autem litis compositio vel *gratuita*, quum ius controuersum uni ab altero ceditur gratis, et dicitur *compositio amicabile* in specie, vel *onerosa*, quando dato aliquo vel revento, vel promisso a praetensione disceditur, et haec conventio vocatur *Transactio*. Quoniam pacta seruanda sunt, in aperto est, post amicabilem litis compositionem, vel transactionem, teneri utramque partem adquiescere, et litem terminari.

DCXXXII. Si neque hisce modis conueniant litigantes, *facere poterunt compromissum*, hoc est, pactum de stando pronuntiationi certae personae, seu *arbitri*, qui si consentiat et *recipiat arbitrium*, eius erit officium, causam rite cognoscere, probationes examinare, et sine respectu personarum pro rei veritate pronuntiare sententiam, siue *Laudum*; illudque implere ambo litigantes vi pacti perfecte tenebuntur.

DCXXXIII. Denique si et hoc displiceat remedium partibus, ad contractum aleatorium, hoc est, sortem decisoriam recurrere licebit. Cf. *Prov. XVIII. v. 18.*

DCXXXIV. Quoniam remediis violentis ad auertendam laesionem tunc tantum iure utimus, quando modi placidi sunt frustranei, consequens est, ut si nec amicabile compositio, nec transactio voluntaria, nec arbitrium, nec fors locum habeat, ius violentiae defensionis contra laedentem in usum deduci, ipsaque ideo transactio in re dubia, qua tali, vi extorqueri possit. Ac porro non quaevis laesio, sed ea, quae aliter auerti nequit, siue *aliter indeclinabilis*, iustifica est coactionis physicae causa. *Cic. Off. l. 11.*

DCXXXV. Animus declaratus alteri vim inferendi

rendi est *Hostilitas*, et qui talem animum habet, *Hostis* dicitur. Igitur uti belli, ita hostilitatis iure il tantum gaudent, qui patiuntur laesionem, non qui illam intentant.

DCXXXVI. Quare bellum ex utraque parte iustum reipsa repugnat. Sed fieri tamen potest, ut utro citroque iniustum sit, veluti si in re dubia neuter aequas compositionis condiciones admittere velit. Si enim unus ad transigendum paratus sit, itaque facere alter recuset, tunc posterior tantum est laedens, et bellum gerit iniustum.

DCXXXVII. Qui primos actus hostilitatis exercet, *adgressor*, seu bellum *offensivum*, qui is resistit, bellum *defensivum* gerere dicuntur; datur itaque ius tam ad bellum offensivum; si laesio ab altero sit illata, vel certo imminet, quam ad defensivum, si laesio et violentia actu inferatur.

DCXXXVIII. Sunt, qui per bellum *defensivum* intelligunt, quod geritur a laeso; etsi primos exerceat actus hostilitatis, et per *offensivum*, quod suscipitur a laedente, et eo sensu omne bellum defensivum esset iustum, omne offensivum iniustum. Sed posteriores hae acceptiones repugnant communi loquendi usui.

DCXXXIX. Quatenus tamen primi actus hostilitatis supponunt laesionem, quae non praesumitur, sed probanda est, eatenus omne bellum offensivum, siue eius, qui primus hostiliter agit, praesumitur iniustum, et contraria ratione omne bellum defensivum, seu eius, qui resistit, praesumitur iustum.

DCXL. Iustus hostis omnem necessariam vim contra laedentem iure exercet; quanta vero vis requiratur, id non nisi ex obuiis circumstantiis definiri potest; nunc enim grauior laesio remedio leniori, nunc laesio minor remedio duriori tantum declinatur. Igitur etiam ius belli et hostilitatis ad iura indefinita pertinent.

K

DCXLI.

DCXLI. Datur proin ius ad qualemcunque violentiam, siue in personam laedentis, siue in eius res et iura, quae porro inuadere et auferre, suaque facere bellica occupatione licet, si nimirum iusti belli scopus, id est, mali praeteriti satisfactio, mali praesentis depulsio, a malo futuro securitas, aliter nequeat obtineri, atque in hac postrema specie etiam *Ius puniendi* cum iure belli coniunctum est. cf. *D. August. Caus. XXIII. Q. 2. c. 2.*

DCXLII. Qui hosce limites excedit, ex bello iusto ad bellum iniustum quidem transit; attamen, quum arduum sit in hypothesei hos terminos definire, *quantitas et qualitas violentiae pro fine consequendo necessariae in foro externo iudicio laesi relinquuntur.* Siquidem ratione facti difficile est, quod vere iustum est, ab eo, quod tale videtur, discernere. *Androm. Rhod. Paphr. L. I. c. 3. p. 10.*

DCXLIII. Quoniam qui ex alterius infelicitate voluptatem capit, is eum odit, et est ei inimicus, iustus hostis autem non laedentis malum, sed declinationem laesionis intendere debet, patet, prohibitum esse odium eius, qui laesit, prohibitam vindictam, quo nomine veniunt actus, quibus male alicui ideo tantum facimus, quia male nobis fecit.

DCXLIV. Quod enim malum alteri inferre liceat, est exceptio a lege propter collisionem officiorum, quae collisio locum habere nequit cum actionibus animi internis, siquidem actus hostilitatis tantum externi sunt, et saluo amore hostium possunt exerceri. Quare sapienter dicebant Sogdiani Alexandro, nunquam se inimicos ei, sed bello laceffitos, hostes fuisse. *Curt. VII c. X.*

DCXLV. Ex hisce principiis quaeuis species obuenientes declarandae sunt. Ita quisque ius habet *inculpatae tutelae*, hoc est, defendendi vitam, corpus, membra, pudicitiam etiam cum nece adgressoris, quando iouale foret mitius remedium; ad id enim nos ducunt

cum

cum innati naturae stimuli, tum rectae rationis dictamen, quod nos docet, posita collisione impossibilem esse praecepti de conservando proximo custodiam *v. Cic. pro Mil. IV.*

DCXLVI. Nec refert, adgressorem dementem vel furiosum esse, et a culpa immunem; ius enim se defendendi non ex alterius malitia, sed ex obligatione et iure se conservandi derivatur. At si quis fuga sibi plene posset consulere, tunc nulla adest collisio, neque ius ad adgressoris necem; fuga igitur arripienda est, quae non est turpior, quam si quis rapidum canem, aut belluam euitarer.

DCXLVII. Si tales obveniant circumstantiae, in quibus vel aequale, vel maius bonum esset a defensione abstinere, tunc non est praecepta, sed iam *permissa*, iamque *prohibita* sui defensio, nisi quod lumina *per turbatio* aliquam saepe excusationem praebeat. At si levis tantum sit iniuria, veluti alapa, ea mediis lenioribus arceri potest; iniusta ergo esset adgressoris occisio, nisi vim maiorem adferat. *cf. Grot. L. II. c. I. §. 1. seqq.*

DCXLVIII. Occisio calumniatoris ad famam defendendam medium aptum non est, quia iudicium aiorum de perfectione, vel imperfectione nostra propterea in melius non mutatur, sed potius in deterius; ius igitur ad occidendum calumniatorem nemini competit, sed aliis mediis famam oportet tueri, et quidem vel *factis*, si quis ita se gerat, ut ostendat falsa dixisse maledicum, vel *verbis*, si huius fidem labefaceret, et mendacii arguat. Omnis autem iniuriae *Retorsio*, cum maledicta maledictis rependuntur, vindictam sapit, adeoque legi naturali repugnat. *v. Grot. L. II. c. I. §. 10. n. 3.*

DCXLIX. An res et iura etiam armis et intertione adgressoris tueri liceat, a quibusdam dubitatum, quod 1) nulla proportio sit inter res unius, et vitam alterius, dein 2) res nostras alterius vitae servandae

K 2

causa

causa ultro dare obligemur. Enimvero qui res aufert, is ea media adimit, quibus vita toleretur, quorum si injusta esset defensio, tunc iusta foret ablatio. Neque opus est, ut proportio inter damnum et malum laeso intendandum seruetur, sed inter damnum et medium, necessarium pro defensione; quae si pro rebus minoribus esset vetita, audaciores quotidie fierent fures.

DCL. Quamvis mediorum usus, a cuiusvis iudicio pendeat in foro externo, charitati tamen et aequitati naturali repugnaret, si, deficiente licet omni alio medio, quis ob rem, qua carere posset, quamque ad salvandos alios ipse vi beneficentiae gratis dare teneretur, occideret fugientem furem. Quare defensio externe iusta, non statim etiam interne iusta dici potest. *Matth. V. v. Grot. I. c. II. §. 13.*

DCLI. Quia ius praeveniendi est facultas moralis iniuriam quamcunque imminentem vi repellendi, hoc etiam competit, si vita, corpus, aut res nostrae in praesens et certum discrimen deducantur; si enim malum tantum metuamus, aut *suspiciemur*, id est, confuse ex leuibus et dubiis argumentis nobis repraesentemus, tunc cum malum, tum ius nostrum defensionis incertum est; nulla igitur adest iusta satisque idonea belli causa. cf. *Xenoph. de Exp. Cyr. L. II c. 5.*

DCLII. Si vires laesi iuri persequendo impares sint, poterit illas cum aliorum viribus coniungere, hoc est, de *auxilio bellico* sibi prospicere, et quia quisque alios adiuuare imperfecte saltem obligatur, cuique etiam ius est praestandi auxilia, antequam illa speciali pacto promittantur. Neque enim quisquam id posset promittere, cuius praestandi facultatem moralem antecedenter non haberet, adeoque per pactum solummodo ius permissuum in ius stricte tale commutatur.

DCLIII. An autem quis alteri promittere auxilia possit, id cuiusque iudicio relinquendum est, et ideo quilibet homo naturaliter ius habet sequendi *neutras partes*. Ceterum, qui iniusti hostis est auxiliator, is
eius

eius vires in laedendo auget, fit laedens, atque hostis, hinc poterit is quoque hostili iure censerī.

DCLIV. Facultas physica a facultate morali est prorsus distincta: euenit porro saepe, vt in pugnando maiore facultate physica polleat, qui caret morali, et vicissim. Proin *Victoria*, siue is belli exitus, quo quantitas physica vnius hostis efficit, vt alter resistere amplius nequeat, iuris argumentum non est, nec vllum datur ius victoriae, nisi transactio, seu pactum pacis accesserit, quod quum sit seruandum, patet, dari etiam pacta valida, quae vi et metu sunt extorta.

DCLV. Pugna inter duos determinata, qui conueniunt certo loco, tempore, et modo se dimicare velle, vt per victoriam lis dirimatur, *Duellum* dicitur. Est itaque duellum cum proximo vitae et membrorum periculo tam laedentis, quam laesi copulatum, hinc medium ineptum litis finiendae; sed si dubia sit causa, erit ex datis supra principiis vtrunque iniustum.

DCLVI. Si autem causa sit certa, iniustum tamen erit ex parte eius, qui laesit, quod nouam intentet laesionem, et ex parte eius, qui fuit laesus, quod moderamen excedat inculparae tutelae, causam iustam et vitam aleae committat sine necessitate, atque alia aptiora et tutiora media ex odio hostis et vindictae studio negligat.

DCLVII. Neque obstat, bella inter homines aliquando licere; siquidem ius belli non est in eo positum, vt incerto praelio iuris nobis competentis decisio committatur, sed vt media quaecunque idonea, tam in res, quam personam omni loco, et omni tempore, omni-que modo impendantur. Sane si quis animo duelli alterum inuadit, quum natura quisque se tueri possit, vbi hinc se defendit, duellum non est.

DCLVIII. Haec iure naturali satis sunt perspicua. Fuere tamen, qui defensionem violentam legi euangelicae

K 3

licae

* Cf. P. Gerdil. *Traité des Combats singuliers*. Turin. 1760. 8.

licae repugnare opinati sunt propter loca *Matth. V. 39.*
Ne obstitite iniurioso; si quis te percusserit in dextram
maxillam, praebe illi et alteram; atque Rom. XII. 19.
Non vos defendentes carissimi, aliaque similia.

DCLIX. Enimvero Euangelium vult alios a nobis
 diligi aequae, ac nosmetipsos, non autem magis, ipsi-
 que Apostoli gladio utebantur. * Nec negotium fa-
 ciunt obiecta loca. Siquidem D. *Matthaeus* tam de
 leui iniuria loquitur, quam illa, quae futura esset re-
 ligionis causa, D. *Pauli* autem verba tantum ad vin-
 dictam pertinent, sunt enim sic vertenda: *Vos non el-
 iscentes*, quemadmodum contextus docet.

C A P V T XXIV.

De societate generatim.

DCLX. Quoniam in statu naturali connato quis-
 que perfectae suae obligationi satisfacit actionibus ne-
 gatiuis, suae abstinentia ab alterius laesione, evidens
 est, ut durante primaeva hac aequalitate, ac libertate,
 in quae eadem erant omnium iura, ac obligationes, ne-
 mo *ius perfectum* habeat in actiones aliorum positi-
 vas, et quae in faciendo consistant. Quare si nobis
 competant huiusmodi iura, necesse est, ea hypothetica
 esse, atque superaddita.

DCLXI. Nihil acquiritur sine sufficiente titulo ac
 modo, ergo nec ius perfectum et affirmatiuum in per-
 sonas. Modus autem acquirendi originarius ad res,
 quae nullius sunt, pertinet. Ex quo fit, ut homines,
 qui naturaliter iura habent aequalia, ius in alios ho-
 mines perfectum et affirmatiuum non adquirant, nisi
 modis derivatiuis, pacto scilicet, vel lege, quibus porro
 ad unius in ad alterius transfertur, et primaeva natu-
 ralis libertas, suae independentia, et aequalitas limi-
 tatur.

DCLXII.

* Cf. *Grot. l. c. III. 5. 4.*